


Dissertatio Textualis De Jesu Christo Ad Jordanem Baptisato

Tiguri: Typis Gessnerianis, MDCCVIII

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677945869>

Druck Freier  Zugang





6

41

Fa - 1092 (41.)

2.

3.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.


16.

17.

18.

19.

20.



Matth. III, 16 et Jo. I, 10.

DISSERTATIO TEXTUALIS
De
JESU CHRISTO
AD JORDANEM
BAPTISATO
QUAM,

D. O. M. gratiosè favente,
Placido Examini subjicit,

JOH. JACOBUS HOTTINGERUS,
S. S. Theol. Prof.

RESPONDENTE,

JOH. CASPARO RHEINACHERO V. D. M.

ASSUMENTE,

JOH. CASPARO HOFFMEISTERO,
S. S. Theol. Stud.

Postrid. Syn. Autumn.

H. L. Q. S.

TIGURI,
Typis **GESSNERIANIS,**
ANNO M D CCVIII.



I.

Instituti
Ratio.



Baptismus Christi, compendium est doctrinæ illius, in qua Jesus Christus *vitam æternam* constituit, videlicet de *solo vero Deo*, & suo ipsius Officio, Statu & Persona Joh. 17: 3. Epocha est ministerii à Christo suscepti, seu Filii Dei revelati: Petro teste, Act. 1: 22. 10: 37. Maxima quæ Johanni, ex muliere natorum maximo, durante ministeriõ ejus contigit, gloria: Historia unanimi trium Evangelistarum commemoratione & quarti confirmatione digna: ab incluto Hipponensium Præsule, maximo jure inter *Memorabilia S. Scripturæ* commemorata. Denique multa completitur curatiore consideratione dignissima.

Tempus bap-
tismi Christi.

II. Animadvertenda sunt in ea, tum quæ *in terra*, vel inter *Johannem & Jesum Christum, Filium Dei*: vel à *solo Johanne*: vel à *solo Christo* gesta sunt: tum quæ *calitus* facta à *Spiritu S. & Deo Patre*. Præmittit Spiritus S. *Temporis & Loci* circumstantias. De *tempore*, S. Matthæus 3: 13. τότε, *Tunc*. S. Marcus 1: 9. latiùs, *Diebus illis*: quibus videlicet S. Baptista, viam Domino paraturus, populum ad se confluentem omnem quidem *docebat*; Prophetam magnum à Mose promissum, jam in mundo versari, publicitus propediem audiendum prædicabat: excellentiam Personæ ejusdem declarabat: ad officii illi debiti præstationem aculeos subdebat: multos etiam baptisabat. Luc. 3: 21. Christus post tot Prophetas, qui eum *venturum* promiserant, Johannem, qui *presentem* digito veluti monstraret, ad Judæos ablegavit; eum ut Phosphorum Sol, proximè nulloque alio Propheta intermedio infecutus. Illucescit enim demum κατεσκευασμένοις, *rîtè instructis*: quam in rem, seriâ & gnavâ ad respiscentiam incitatione, nec non religiosâ Sacramentorum administratione opus est, Luc. 1: 17.

Sobrietas
in ejus in-
dagine ob-
servanda.

III. Evangelistæ loquuntur universi de tempore Christi baptisati; sed indefinitè & παχυλῶς: sine diei, mensis, aut tempestatis anni

anni indice: ad rem cui Johannes vacabat, quamque Propheta prædixerant, nos rejicientes. Quò rei ipsius scrutinio quàm articulis temporum gnavius insisteremus, Nimirum Spiritus S. literas Sanctis Dei viris dictans, fidei nostræ, quàm curiositati consulere maluit. Hinc (ut Casaubon. *adv. Baron. Exercit. XIII. §. 3.*) multa (ab Evangelistis) omiſſa in eo genere, ad quæ depingenda aliquis sæculi Rhetor, totum artis suæ myrothecium exhauſſiſſet, &c. Contra, ἀκριβείας & diligentia exactæ etiam, in necessariis circumstantiis notandis, exempla non pauca, eadem Scriptura suggerit: cujusmodi est istud Lucæ ſingulare.

IV. Enimverò ut Lucas 2: 1. 2. (Prophetiis, illis maximè quæ *Expenditur* tempus Meſſiæ incarnandi expreſſerunt, lucem & facem aliquam accenſurus) Jeſum Chriſtum *Augusto imperante, Cyrenio Syria Præfecto, &c. Anni repe-* in lucem editum; notavit: ita Cap. III. geminum indicem, Ministerii à Chriſto ſuſcepti, adeoque ejusdem baptiſati, ſuppeditat: *riendi, dif-* *ſcultas* *prior.* *2*
 v. 1. 2: & ſacrum v. 23. Ille eſt annus XV. Imperii Tiberii Cæſaris: *2*
 præſide Pontio Pilato. &c. Annus iſte Tiberianus (Montacutio Orig. *10*
17
 Eccl. I. 329. obſervante) in Romana Hiſtoria infamis eſt, & atro quodam carbone notatus: Ob mutatos in deterius, vel potiùs in apertum prorumpentes Principis proſtigatiſſimi mores. At in Commentariis Chriſtianorum, annus proſectò bonæ voluntatis & benevolentia, ac inſpectionis divina revelatæ. Sacrum, Ministerii à Chriſti ſuſcepti initium Lucas 3: 23. ita evolvit: Jeſus erat ὡς εἰ ἐτῶν τελέωντα ἀρχόμενος, circiter Annorum triginta incipiens. Viri neque numero neque autoritate exigui, crucem ſibi aliisque figunt, in verbo ἀρχόμενος, & adverbio ὡς εἰ. Illud cum ἐτῶν conſtruunt; unde inferunt, Chriſtum ſub initium anni XXX. Baptiſmum accepſiſſe. Ne verò dicam, ab emunctiorum narium Criticis obſervari, ἀρχόμενος alteri verbo junctum, ſæpe πλεονάζειν. Illis accedimus, quibus τῷ ἀρχόμενος, non anni alicujus, ſed Ministerii Chriſti initium indigetari videtur. Inprimis cùm (S. Petro ac Lucæ, Luc. 11. 23: 5. & Act. 1: 22. 10: 37.) frequens ſit, de Chriſti ministerio verbum ἀρχεσθαι adhibere; ejusdemque initium cum Baptiſmo Johannis conjungere. Hoc ergo S. Lucas ſibi voluerit: Iſte Jeſus cui cælitus teſtimonium datum, circiter annorum triginta erat, incipiens: &c. i. e. cùm inciperet Ministerium, quod ei in Baptiſmo, non tantùm commendatum, ſed cujus jam in- & obeundi cauſâ, in publico apparuit, quodque adeò ſub ipſo Baptiſmo inchoavit.

A. 2

V. Cùm

Posterior.

V. Cùm porrò S. Lucas non dicat, Christum eo tempore fuisse triginta annorum: sed ὡσεὶ circiter triginta, nihil est, quod aliorum ἀνείβετα, aliorum audacia, sibi non indulgeat. Qui moderatè loquuntur, contendunt verba Lucæ, anno 29. non minùs quàm 30. Imò etiam 31. accommodari posse. Si Petavii rationem sequamur, Christus cùm baptizaretur, habuit solidos XXXII, annos, Wilh. Lang. de Annis Christi scribit. Keplerus particulam ὡσεὶ tantundem valere dicit, ac plus minùs, præter propter: ut Christus tum vel 27. tantum, vel 32. aut 33. annum habuisse potuerit. Τετάρκοντα ἔτη ἢ πλείονα ἢ καὶ ἐλάσσονα, Justinus Dial. cùm Tryph. inquit. Natalis Alexander dissert. de Anno Nativ. &c. H. E. T. III. p. 75. particulam ὡσεὶ plerùmque notam esse ambiguitatis &c. libertatem permittere, vel coarctandi, i. e. rem de qua agitur, ad numerum paulò minorem: vel extendendi ad paulò majorem: ut si dicatur, in exercitu Regis Christianissimi quasi 100000. pugnare. Hac lata porta sibi adornatà, Christum Anno etatis sue 34. baptisatum, affirmat. Sed Ant. Pagius neque Petavio, neque Alexandro, (suppresso quidem eorum nomine) parcat. Inter alia inquit, ad A. C. 29. Verbum (Lucæ ὡσεὶ) non videtur tantam latitudinem pati. Post Pagium tamen Vir. Cl. Sam. Basnagius, Christum Anno 34. ineunte baptisatum, sententiam esse vero simillimam, Annal. A. C. 30. n. 4. asserit. Illustri Scaliger, pressius verbis Spiritùs S. insistit. *Jesus accessit ad Baptisatum anno etatis sue XXX. absolutò, & tricesimò primò ineunte.* De Emend. Temp. lib. VI. Langius: *Christum accepisse Baptisatum 30. Annos & 13. d. natum.* Nec secùs Torneillus. Baronius, citatis verbis Ignatii ex Epist. ad Trall. *Jesum baptisatum expletis tribus annorum decadiibus, subjicit: S. Romanam Ecclesiam id ipsum profiteri.* A. C. 31. S. 18. conf. A. C. 30. Non possum non heic Baronium admonere eorum quæ de verbis: *erat incipiens quasi 30. annorum*, scripserat, Apparat. S. 106. *Eorum ait (verborum) multiplex sensus à Patribus affertur.* Agnoscit Torneillus. Quæ quâ ratione cum Ecclesiæ Rom. & Patrum consensu perpetuo: vel cum Patrum suprema in explicanda Scriptura, & decidendis controversiis autoritate: vel cum Patrum & Rom. Ecclesiæ infallibilitate conspirent, ipsi viderint.

Ἐπίπρις.

VI. Clariss. van Til de Anno &c. Nat. Christi, Annum Christi 30. cum Tiberii XIV. compingit. Annum Tiberii XV. à 20. m. Augusti inchoat, quo Christus Anni 31. tres partes superaverit: illius autem

tem

tem Anni, die 21. Octobris annum ætatis 31. absolverit. Hoc fortassis ultimo trimestri, adeoque sub ipsa ferè auspiciâ Ministerii Johannitici, & mense quidem Tisri (quod Clar. Ligstotus pariter sustinet: Bafnagio refragante, *Annal. A. C. 30: 5.*) ad ejus Baptismum accessisse. In tanta rerum caligine, Andabatarum pugnam revocari dixeris, si contentiosius hinc & illinc confligatur. Non magis instituti nostri est, ea sub incudem revocare, quæ nervis particulæ *ωσει* incidendis adhibentur. Quæ ex Ignatii *Epist. ad Trall.* citantur, Pagio & Nat. Alexandro testibus, spuria sunt. Urgent admodum Sacerdotes V. T. non ante 30. Annum consummatum, functionibus sacris admos. At quid frequentius S. Scriptoribus, quàm annos inchoatos pro integris numerare? Quod à Judæis in Exemplum trahi, vid. *Ligst. op. T. I. p. 350. & II. p. 275.* Porro certis casibus, nondum viginti annos natos, ad Pontificalem functionem admissos, Nobiliss. Selden. docet *de Succ. in Pont. II. 4.* Christus ergo cum baptisaretur, A. 30. non equidem, ut Irenæo II. 39. Montac. *orig. I. 350.* aliisque videtur, demum *inchoaverit*, nec tamen *superaverit*. Lucas sæpenumerò particulâ *ωσει* restringit. Quod Matth. 17: 1. Marc. 9: 2. dixerunt *μεθ' ημερας εξ*, Lucas 9: 28. exprimit per *ωσει ημερας οκτω*. Primò comprehendit diem, quo Christus de regno suo videndo disseruerat, à Matthæo & Marco exclusum. Deinde numerat diem, quo Christus gloriam discipulis ostenderat, qui nondum finitus erat, sed agebatur; Lucæ quidem calculo *octavus*: Matthæi autem & Marci *septimus*: unde rectè scripserunt, *post sex dies*. Itidem Christus baptisatus, dici possit fuisse *ωσει ετων τετακοντα*, quia in eo erat ut annum tricesimum completeret. Epiphanius *Heres. LI.* de Christo: *Implevit annos 29. & menses X. dies X. mense Athyr. ante VI. Id. Novembr.* Neque Scaliger omnino illis obstrepere videtur, qui contendunt, Christum circiter, i. e. *μικρον δει, prope 30.* anno baptisatum: paulò post Baptismum iniisse Annum 31. Est verò Christus 30. demum Anno Ministerium ingressus, non tantùm quò typis responderet Sacerdotum V. T. nec non Josephi, Davidis, item Ezechielis, eodem ætatis Anno dignitati principali, regiæ. & propheticæ admotorum: sed quòd rebus cum autoritate & prudentia, præcipuè tot adversariis juratis obseffo, gerendis, ætas virilis, justa, & iudicium maturum requireretur. Talis verò tricenaria est: Achæis, Wisigothis aliisque gentibus Magistratui suscipiendo definita. Ipsi ICTis ætas

legitima, Theophylacto Ἡλικία τελειοτάτη cluet. Ut impudentes nimium sint Anabaptista, qui hanc solam ætatem Baptismo conferendo opportunam contendunt. Gregorius Nazianz. orat. 40. eorum similibus pridem dixit, *tales sublime exemplum inconsultò & malè sequi*. Ne enim dicam Baptismum maturius non potuisse à Christo suscipi, tum quia nuperrimè à Johanne administrari cepit: tum quia character fuit appropinquantis regni cœlorum. Christus non tantum Baptismi, sed etiam Ministerii proximè à Baptismo accepto, adeundi causâ, in publicum prodiit. At docendi provincia provectiorem ætatem postulat, imprimis si cum pluribus & pertinacioribus hostibus conflictandum sit. Equidem Concil. Neo-Cæsar. A. CCCXV. Can. XI. sancivit: *Presbyter ante A. XXX. non ordinetur, etiamsi fuerit homo valde dignus, sed reservetur. Dominus enim Jesus Christus in Anno trigesimo & baptisatus est, & cepit docere*. Lex repetita Syn. Agath. A. 506. can. 17. Memorabili exemplo, quod illâ adhuc meliori ætate, interpretes Scripturam quandoque oscitantiùs tractarint. *Sacerdotes* enim ordinario Ministerio ferius ita adhibiti, ut *Doctoribus* lex illa vix accommodanda sit. Constat saltem extra ordinem aliquos, v. gr. Samuelem & Jeremiam, ætate teneriore vocatos. Itaque Neocæsarienses ab Ecclesia posteriorum sæculorum deserti. Justinianus minorem 35. annis, Presbyterum fieri vetuit. Egbertus Eboracensis *rationabili necessitate cogente*, infra Annum 30. descendere permisit: citante Clariss. Beveregd. *Annotat. in Concil. cit. p. 180. Et multa sanè* (idem Beveregdius ait) *extant eorum exempla qui ante istam ætatem, non Presbyteri modò sed & Episcopi ordinati fuerunt, &c. Quin etiam non obstante ipsa lege Mosaica, Levitè à Davide & Ezechia* (1. Paral. 23: 27. 2. Par. 31: 17.) *recensiti sunt à vicesimo ætatis anno*. Conjicit M. Ufferius, anno hoc Christi tricesimo, Jubileum 30. & ultimum promulgatum: de quo vid. ejus Annal. A. M. 4030. Clementis Alexandrini, & discipuli ejus Origenis sententiâ, *πενήκοντα ἔτη* annus per antonomasiam *acceptabilis*, Jes. 61: 2. promissus, *κατὰ γράμμα* fuit idem Annus Christi tricesimus, intra quem Christus totum suum Ministerium absolverit: ut Christi vitam, imprimis annum gratiæ, arctius constringant: de quo gemino errore, Montacut. *Orig. part. I. 330. sqq.*

VII. Viris doctis S. sup. commemoratis, Christum mense
 Tisri baptisatum placet. Alii Januarium præferunt. Iidem addunt *Dies Christi baptisati.*
 diem. Baron. A. C. 31. Christum VI. Jan. baptisatum, ex communi &
 antiqua Traditione Sc. consentire omnes Scriptores Ecclesiasticos, excepto
 Epiphanio, non audiendo. Epiphanius, 10. m. Egypt. Athyr (ipse ex-
 plicat, de 8. Novembr.) Christum baptisatum scribit. Cassia-
 nus Epiphanio contradicit, de quo postea. Quicquid olim fuerit, ho-
 die Græci, Egyptii, Armeni, plerique alii, VI. Januarii, quem ἐπι-
 Φάνεια, ἐπιΦάνειαν, θεοΦάνειαν cognominant, in hujus rei memoriam
 celebrant. Qui ejus diei (ἐορτὴ μεγάλη Chrystomo Homil. 161.
 cluet: dies solennissimus, August. Serm. VII. Epiphani.) celebritati non
 interesset, exterus à religione Christiana videbatur. Eodem potif-
 simum die baptisari voluerunt. Durandus Rational. p. m. 182. b. id
 universæ Ecclesiæ Græcæ tribuit, sine idoneo teste. Petrus autem Ble-
 sensis, serm. 13. Ecclesiam (Romanam) sub anathemate interdixisse, ne
 aliquis die Epiphaniarum baptisat, si articulus necessitatis non intercedat.
 Conf. Gratian. de Consecr. distinct. 4. c. 11. sqq. Superstitionem Græco-
 rum eadem nocte aquam haurientium, vid. S. sq. Monendus Lector,
 Epiphaniæ Nomen & usum (ut plura alia) ex disciplina Paganorum,
 pio proposito, sed dispari fuccessu, Ecclesiasticâ civitate donatum. Nam
 cum Pagani fingerent, Deos suos quandoque ἐπιθεμενύειν τὴν ἰδίαν ἐπι-
 Φάνειαν, præsentia suæ signa dedisse: in rei memoriam, festa ἐπιΦάνειας,
 etiam θεοΦάνειας nomine insignita instituere. De quibus Polyhi-
 stores, Hospin. de festis gentil. P. II. p. 132. Casaub. adv. Baron. Exerc.
 II. S. 111. Montac. Orig. Eccl. l. 2 39. sqq. Christiani, tum ficti Numinis
 memoriam oblitteraturi, tum gratam Deo mentem pro gratiosis ap-
 paritionibus testaturi, sua ἐπιΦάνεια celebrarunt: non quidem illam
 apparitionem Domini in monte Seir, quam LXX. Interpr. ἐπιΦάνειαν
 nuncupârunt. Deut. 33: 2. Sed primùm, apparitionem Filii in carne:
 dein, ejus manifestationem Magis factam, per stellam Matth. 2. Porrò
 (quia, quâ die natus erat, eâdem anno XXX. vertente, baptisatum
 opinati sunt) apparitionem Dei incarnati, tum reliquarum persona-
 rum, ad Jordanem: solenniorem & augustiorem quàm hæctenus ma-
 nifestationem, de quo Montac. p. 242. Novam Filii, proximò annò
 (Montacutio judice p. 349.) per miraculum in nuptiis Canæis eâ-
 dem die patratum, contigisse. Itaque ejusdem commemoratio, eidem fe-
 stivi-

stivitati, jam Ambrosii ævo annexa fuit. Ambr. Serm. XXI. Unde dies ille quandoque, *Bethphania*: imò etiam πανδέκτης, omnium rerum magnarum receptaculum dictus. Cassianus alique, de Græcis & Ægyptiis, quod *Nativitatis* & *Baptismi Solennitatem*, non bifariè, ut in *Occiduis Provinciis*, sed sub una diei hujus festivitate concelebrent, asserunt. Latinis, Nativitati XXV. Decembris: Baptismo, præcipuè Magis, VI. Jan. Sacer fuit. Quanquam Græci aliqui, Epiphania teste, in diœcesi nimirum Alexandrina, cujus erat appendix, sextum Januarii (*Epiphaniam* insignit) Nativitati consecrârunt: Hæres. LI. Alii tamen Græci ævo Chrysostomi, Natales Christi 25. Dec. commemorârunt: jamque tunc ab Epiphania distinxerunt. Nam, quod Montacutius, ex Greg. Nazianz orat. 38. & 39. & Basil. orat. 25. rectè observat, Nativitatem θεοφανείας, Magorum & Baptismi festum *Epiphaniæ* nomine insignierunt. Chrysostomus Homil. 74. ουχι ημεσμεναδ' ην επεχθη, αλλ' η ημεσμεναδ' ην εβαπτισθη επιφανεια λεγεται. Non dies quo natus, sed quo baptisatus est, επιφανεια dicitur. Etsi idem Chrysostomus Homil. 88. των επιφανεϊων nomen, laxiori nimirum significatione, etiam de festo Nativitatis subinde adhibere perrexit. Vide sis Montacut. cit. lib. p. 240. Vicissim & Balsamoni & Photio Baptismatis festivitas, θεοφανεια dicitur. Vid. Suicer. *Thesaur. voc.* Επιφανεια. De hodierno Anglicanæ Ecclesiæ ritu, idem Montacut. p. 349. Tribus miraculis ornatum illum diem VI. Januarii colimus: stelle Magos ad præsepium Christi ducentis: vini ex aqua facti: Christi ad Jordanem baptizati. Pergit: Legimus autem ad matutinas, lectionem è Luc. 3. de baptisato Jesu: & ad vespertinas è 2 cap. Johannis: & ad Evangelium, narrationem de Magis. Ut testatum nostris faceremus, nos credere diem illam tribus illisce magnalibus honoratam.

De festo E.
piphaniæ.

VIII. Baronio videntur Epiphaniæ primitus institutæ, ad memoriam recolendam adventus Magorum. Sæpe laudatus Montacutius p. 349. contendit, quæ de tribus illis magnalibus dixerat, ad diem eundem probabiliter pertinere: illud autem de Christo 6. Jan. baptizato, ad Catholicæ Ecclesiæ praxin, & consensum pertinere: illud verò de Magis, primum & principale illius festi Mysterium esse, p. 395. Ad quæ nos primùm: Epiphania non statim primis Ecclesiæ temporibus instituta. Ut Casaub. adv. Baron. Exer. 2. Sect. XI. in Titulo. Juxta Papebrochium Jesuitam, solum Baptismum Christi, propriè ad hunc diem (6. Jan.) spectare

ſpectare: propterea quòd *totus Oriens*, penes quem diſtinctior fuerit
 Hiſtoriae Evangelicæ cognitio, nihil aliud hoc die factum agnoſcat.
 Atque ex iſta ſententia (ut Excell. Ludolfus *Comment. Æth.* p. 393. 430.
 obſervat) *antiquitus recepta, factum, ut poſtridie hujus feſti, quadrageſi-
 male Jejunium in univerſa Eccleſia ſtatim ceperit.* Subjicit: *Igitur non,
 (ut hodie docetur) Epiphania vocantur, eò quòd Chriſtus ſe Magis h. e. Eth-
 nicis primùm oſtenderit. Nam lectio de Magis, in Occidente poſt aliquot
 demum ſæcula huic diei imperitè attributa fuit: Cùm Feſtum hoc in Ori-
 ente ex alia cauſa diu ante vigiſſet.* Itaque Æthiopes neque hodie
 memoriam Magorum eâ die obeunt. Quid ſi occasione nominis,
 quo baptiſmi hujus memoria ornabatur, alia plura, quæ *manifeſtatio
 Chriſti dici mererentur, principali argumento addita fuiſſent: ne tandè
 aliquid in S. Hiſtoria memorabile occurreret, cujus memoria non ſo-
 lenni aliquo feſto concelebraretur? Conſenſui Catholica Eccleſia de Chri-
 ſto VI. Jan. baptiſato, non opponimus Epiphanium: quem ubique
 luxatiſſimum (ſive librariorum incuriâ & temporis injuria, ſive ipſius aviſo-
 goria) Montacutius dicitur, p. 395. at mox ſe ipſum corrigens, Epi-
 phanium culpâ liberat, & *Codices commaculatiſſimos circumferri queri-
 tur.* Certum eſt Epiphania, apud Ægyptios XI. (qui nobis VI.) *Ja-
 nuarii celebrari.* Ludolf. *Comment. Æth.* p. 374. Hieronimus non VI.
 ſed V. Januar. feſtum hoc vendicat. Montacutius haud abnuit: con-
 firmat potiùs. Sic enim p. 393. inſit: *Loquitur de uſu occidentalium Ec-
 cleſiæ, quem ejuſdem Eccleſiæ patres ita repreſentant.* Conſentientes
 alios producit Cl. Baſnagius. *Annal. A.* 30:6. Clemente Alexandrino
 teſte, Baſilidianis XV. menſis Tybi. i. e. X Januarii, Chriſti baptiſmati-
 cus viſus. *Strom.* l. I. p. 249. Quid ad hæc Clemens? *Aliqui (non, Ec-
 cleſia Catholica, nec fortaliſſis plerique) eum eſſe XI. (Januar. VI.)
 ejus menſis.* Quid? quòd etiã fuerint qui 25. Decembris allegarunt,
 vid. Baſn. l. c. Habefſini hodie tam rigide feſtum obſervant, ut pri-
 die, quemadmodum etiã vigiliã Nativitatis, jejunent; ante Solis
 occaſum nihil deguſtantes: morituri potiùs, quàm ſemipoculum
 aquæ bibituri. Reliqua jejunia nonniſi ad tertiam pomeridianam
 producunt. Ipſo feſtò à vino abſtinere cenſentur. Quin, à Fran-
 ciſco Alvarezio, eo die viri cum Fæminis promiſcuè (quod Tellezius
 frequenter aliàs fieri aſtruit) rebaptiſari ſcribuntur. Verùm Excell.
 Ludolfus utriuſque temeritatem in apicum protulit. Pauciſ rem ac-
 cipe.*

cipe. Eo die (Coptitis ideò *balneationis* & *Immersionis sanctæ* dicto) viros & mulieres (has & illos seorsim) cujusvis ordinis & ætatis, adultâ tum apud illos æstate, ante ortum solis, in flumina & stagna, nudos descendere, ibique merfitando lætum diem agere. Sacerdotibus benedictionem, illis quos obviam haberent, impertientibus: quâ tamen mulieres, Solæ scil. & remotæ, non fruuntur. Adolescentes verò lascivire, se invicem mergere: cœlum vociferationibus implere: ut eis ludicrum potiùs balneum, quàm festum Christianum dixeris. *Hist. Æth.* lib. 3. c. VI. n. 43. sqq. *Comment.* p. 374. 381. *Alexandrini* triduo illud celebrant. *Nobis septentrionalibus quidem incommodum foret istos dies in fluminibus rigentibus festos agere, ut (nisi in thermis nostris) nimis tristis ista festivitas nobis futura esset. Quam ob causam in occidentem in desuetudinem venisse censeo, ejusdem viri summi verba sunt, Comment. cit. p. 430. Si Allatio, de Græcor opinat. §. 24. fides est, moder- ni Græci, Epiphaniæ festo, concurrunt, Sacerdotes cereis & reliquo apparatu, aquis benedicunt, quas direptas populus, per domos spargit, & reliquum doliis vini infert, postquam tantum vini emis- erunt quantum aquæ infusuri sunt. Quod si vinum erutum, avaritia in proprios usus converterit, vinum dolii acescere: si locis piis (i. e. Monachis &c.) vel pauperibus distribuatur, vinum dolii conservari. Etiam Monachos in monte Atho aquis apud fluvios vel puteos be- nedicere. Imaginem Christi cruci affixi, priùs dulci aquæ: mox mari alto immergi, cujus aquas Salsas dulces reddi, dein hymnum ter re- peti: Finito hymno, in pristinam Salsedinem redire. Aquas eodem die benedictas non corrumpi, nisi cum imminet calamitas. Idem de pane consecrato tradunt. Cujusmodi superstitionem, aquæ (nimi- rum undecunque) hauriendæ, *ἐν μεσονυκτίῳ κατὰ Ἰησοῦν ἑσπέρην media nocte festi*, opinione perennitatis, Chrysofomi ævo frequentatam: hodièque à Græcis observatam, nuperrimèque aded à Græculo in Gallia exercitam, Chrysof. Tom. V. Homil. 74. & Pagius Crit. A. C. 29. n. 7. tradunt. Superstitione palpabili, & mysterio tanto indigna!*

IX. Ad eandem temporis circumstantiam referendum, quòd Christus baptifari voluit, non *postquam baptifati* universi alii essent: sed *dum omnes alii*, (milites, trapezitæ, scortatores, Pharifæi, & promiscua plebs) *baptizarentur*, Luc. 3: 21. non (aliorum exemplo) interro- gantes *quid faciemus?* Confundens Catharorum veterum & Anabapti- starum

B. Comp.
rasè.

starum recentium morositate, fastum, hypocrisim, qui ad Sacramenta, opinione illorum malis administrata, accedere renuunt. Vid. Augustinus, in Psalm. 90. op. T. VIII. p. m. 1013.

X. Quid verò illis diebus quibus à Johanne populus baptisatus batur, evenit? *παράγινεσθαι ὁ ἰησοῦς presentem se sistit Jesus, Matth. 3: Christe*

13. Παράγινεσθαι, non simpliciter adventum Christi, (ut Matth. 3: 1. Johannis) sed (*tempus presens*) innuere videtur, adventum illum Christi, Johanni fuisse improvisum, & inopinum. Se sistit autem, nec quaesitus à populo, qui de eo nato, & jam jam in publicum prodituro, jam admonitus erat: nec invitatus aut exoratus. Sed *ἑλθων*, ultrò, proprio motu. Ut quaecunque alia Christus bono & loco nostro fecit, ad ipsum ceu primum fontem referri debent. Psalm. 40: 8. Joh. 15: 16. I. Joh. 4: 10.

XI. Spiritus S. hunc Christi Adventum illustraturus, commemorat: *Terminus à quo: ad quem, & finem in quem.* Unde Christus venit? Matthæus 3: 13. regionem, (*ἀπὸ τῆς γαλιλαίας*): Marcus etiam urbem exhibet: *ἦλθεν ἀπὸ Ναζαρέτ τῆς γαλιλαίας*, Marc. 1: 9. ἦλθεν. Loco, in quo à puero erat, deserto, migravit in locum à quo hæctenus secundum carnem absuit. Non sola dispensatione, sed per conditionem à natura humana (cujus veritati, unione cum divina nihil detractum) inseparabilem. Nimirum Oves suas, non tantum per ministros, gratiæ suæ certos reddit: sed gratiæ autor ipfos invisit, bonis suis eos ditaturus. Luci Solis, calor unitissimus est. Venit autem Christus ex Galilæa, demum postquam populus præconio poenitentiae præparatus, & desiderio Christi videndi incensus erat. Siquidem tantæ gratiæ recipiendæ illi demum idonei, qui probè per Ministros Christi macerati, sui & Christi notitiâ ita imbuti, ut se fastidiant abnegentque, Christum esuriant. Mater Christi Nazarethi peregrina, sed ita ut sedem illic fixerit. Luc. 1: 26. Fato viam monstrante, Betlehemum urbem patriam repetiit. Luc. 2: 4. Illic commoratura, in Ægyptum fugere jubetur: in reditu Betlehemum meditans, securitatis ergò eandem Nazaretham præfert. Matth. 2: 13. 21. Luc. 2: 51. Hic Christus delitescit ad A. ætatis 30. Ab A. 12. i. e. per 18. annos privatus, imò obscurus. Quandoquidem autem missus erat, *anni gratiæ* passim *promulgandi* gratiâ Luc. 4: 18. 43. nunc Nazarethâ relictâ, in proximas Galilææ partes: deinde in Judæam concedit, in qua nimirum

rum ore & opere se manifestaturus erat. Quo etiam factum, ut non servus Dominum, in Galilæa: sed Dominus, cui servi formam sumere placuerat, servum in Judæa quæreretur, & ab eo, tot jam lustratus, manifestaretur. Habet enim testimonium hoc de gratiosa Dei in peccatores voluntate, ἰδίως ἡαρούς. 1. Tim. 2: 6. Qui omnia *בְּכָל עֵץ* pulchrè in ordine suo fecit, Eccl. 3: 11. & sua intervalla tum primæ luci, tum ejus in tot splendidas stellas, tanquam totidem rivos distributioni assignavit: in primis Solis justitiæ, ortum & meridiem non temerè, sed ordine & tempore fieri voluit, qui sapientiâ suâ dignissimus.

Terminus ad quem,

XII. Quorsum verò Christus Nazarethâ solvens tendit? Terminus quem petit, communis, est Jordan, fluvius in utroque Codice celeberrimus. Singularis, ratione sitûs, Bethabara. Joh. 1: 38. Ratione Personæ, Johannes Matth. 3: 13. Pro Bethabara (*domo* i. e. loco *trajectûs*), Vulg. Syr. Ar. nec non Codices quidam Græci, & quidem Theophylacti judicio accuratiores, legunt *Bethania*. Beza, Casaubonus, &c. Codices qui Bethabara legunt, mendi accusant. Τὸ πέραν non *transfluvialem* oram, Johanni in salutata; sed τὴν παραποταμίαν, locum *cis Jordanem*, fluvio huic proximum, denotare. Vulgatæ Patroni nonnulli, quò ejus errorem salvâ ejusdem existimatione deserere possint, utrâmq; lectionem admittunt, locum binominem fingentes. Magis ingenuè Grotius & alii: nec LXX. Græcos, nec Vulgatum Latinum religioni ducere, *nomina locorum ignotorum cum notioribus commutare*. Baptisavit quidem Johannes *cis Jordanem*. In deserto Judææ in quo educabatur. In eo ipso deserto, Ænon (de quo Joh. 3: 23.) situm, probat Ligtf. op. T. I. p. 392. Chorogr. præmiss. Joh. c. 3. Op. II. p. 580: sqq. Johannem, extra Judæam strictiùs dictam, trans Jordanem baptisasse, ex Joh. 10: 40. 11: 8. liquet. Cæterùm eidem Viro doctissimo, Op. T. I. 393. II. 575. definienti, Bethabaram locum esse *in extrema ripa lacûs Genesaretici*, è regione Galilææ (ex qua nimirum Christus jam jam Judæam aspirabat) collocanti, auctoritatem S. Matthæi opponimus, Christum quò Baptisaretur, ad Jordanem venisse asserentis, Matth. 3: 13. Trajectus hujus fluvii *navibus* ubique facilis. *Pontibus* hinc inde adjuvabatur. In primis duplex transitus nobilis: uterque Bethabaræ nomine celebris. Ut opus non sit, Bethabaram trans Jordanæam, cum Bethabara cis-Jordanæa, Jud. 7: 24. confundere. Bethabara ista altera, fuit transitus *communis*, ex Judæa in Peræam (Περαιαν

(Περαϊαν, terram transfluvialem, trans-Jordanicam) iter facientibus. Altera nomen habet à transitu Israelitarum, duce Josuâ, præunte arcâ, ex deserto in Cananem. Si cum plerisque interpretibus, posterior intelligitur, res mysterio non caruit. Ita enim Christus hoc quàm quovis alio loco baptisari maluisset, ut rei quam Deus, eo die, quo Josuam ante oculos totius Israelis magni facere incepit Jos. 3: 7. in Jordane fecit; responderet factum illustrius, quod ei qui multos liberos in gloriam introducit, coram populo magnificando, non in fluvio, sed in cœlo eventurum erat. Spiritus S. audaciæ & superstitionis humanæ conscius, de loco nihil definit. Non tamen pudet Baronium scribere: *Locum baptismi Christi remansisse posteris perpetuâ memoriâ celebrem*, A. C. 31: 8. Teste nimirum Bedâ de locis sanct. c. 13. tradentis: *In loco quo Dominus baptisatus est, crucem stare ligneam, usque ad collum altam: in extrema autem fluminis parte, Ecclesiam extructam*, (nostro tempore in rudibus jacet) *ubi vestimenta Domini, cum baptisaretur, servata sint*. Quò popello fabulæ hæ placeant, idem Baronius vult, locum Baptismi Christi, remansisse *virtute miraculi* (purgandis videlicet leprosis) *conspicuum*: teste Gregor. Turonensi, *Glor. Martyr.* c. 17. Verùm Bonav. Brocardus quidem, *Descriptione terræ S.* quam non ex alieno ore, sed ἀυτοπτης adornavit, palàm facit, suo, i. e. XIII. sæculò, de loco Baptismi Christi, in ipsa Palæstina certatum fuisse: Gregorii verò fides, per se admodum dubia, apud ipsos illos, qui ad eum heic provocant exigua; Justini M., Eusebii, Hieronymi silentiò, admodum diminuitur. Nec Bedæ major fides, qui (ut cum Montacutio Orig. *Eccl. part. 2. p. 209. sq. loquar,*) *piis fraudibus h. e. speciosis miraculis & inficetis fabulis bonas horas malè collocavit*. Quanquam haud abnuam, multos cæterà non malos, singulari religione profecutos aquas Jordanis. Constantinus M. olim statuerat, (baptisari) *in flumine Jordane, in quo (ut ait) Servator ipse, ad exemplum nostrum, lavacrum suscepisse memoratur*. Alii, non corpori tantùm sed & animæ; non vivis tantùm sed & mortuis, nescio quid virtutis ex aquis his sibi polliciti: peregrinationibus etiam eò institutis, non corpus modò & vestes in Jordane lavare, quin lintea secum deferre, & fluvio intingere soliti, illis post fata involvendi. Cæterùm liquet hinc, Christum, collegia, cætus. loca in quibus gloria & gratia sua explanatur, Sacramenta administrantur, cultus divinitus præscriptus exercetur, amare. Nulli terræ angulo vel

propior vel gratiosior quàm alteri. Non Hierosolymæ, quàm Bethabara. Bethabaram Christus se recepit, causâ Johannis: *πρὸς τὸν Ἰωάννην*. Non sine omnium bonorum festivo applausu & congratulatione, in eodem Horizonte ab Ecclesia simul conspiciuntur, *duo luminaria magna*, *luminare majus*, & *luminare minus*, Joh. 5: 35. Quorum conjunctio in terra, longè prægnantioris significationis, conjunctio maximorum astrorum in æthere. Quanquam utrumque ante occasum suum Ecclesiam magnam passum.

Christus
Baptismum
appetit.

XIII. Quò contiliò pro vinciam mutat Christus? Quò baptisaretur à (Johanne), Matth. 3: 13. Baptismus Christi præstitit vicem sigilli, quo tum testimonium illud, tum Baptismus, cœlitus confirmabatur. Deo nimirum Patre, quæcunque Johannes de Christo asseverabat, voce perceptibili approbante: Christo Baptismus suo exemplo stabiliente. Baptismus Johannis appendix erat præcepti de *Resipiscencia*, & promissionis de remissione peccatorum. Unde *βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν* nuncupatur, Marc. 1: 4. Luc. 3: 3. Conf. Act. 2: 38. 13: 24. 19: 4. Etiam *ablutio peccatorum*, & *lavacrum regenerationis* dici poterat, non minus quàm Baptismus Christi. Act. 22: 16. 1. Cor. 6: 11. Tit. 3: 5.

Limbourghii,
de Baptismo,
conceptus
vari.

XIV. Limbourghius *Theol. suæ V. 68: 21. sqq.* contendit, *Baptismus*, ex *primæva sua institutione*, denotare *propositum resipiscentiæ*: *proprissimè* & *secundum omnes suos usus*, *administrari peccatori*: contingere, tamen posse, ut administraretur *non-peccatori*. Itaque *resipiscentiæ* & *remissionem* eo significari, *ex conditione demum subjecti peccato inquinati*: *ultimùmque ejus finem* esse, vitam sanctam & æternam: nec *resipiscentiæ* significationem, *ei necessario* & *indivulso nexu adharere*. Hæc quàm malè cohæreant liquidum est. Tum multo errore pallent. Nam cum Baptismus *Sacramentum N. T. sit*, necesse est esse signum *foederis gratiæ cum peccatore initi*. In *foedere* autem isto habent, præter Deum, partes suas, Christus *caput*, sanè justus: Sponsor tamen. Deinde homines, ut *membra*: *debitores*, id est, peccatores. Utrique parti promissiones à Deo factæ. Potuit ergo utraque illa pars, *Sacramentum* hoc *foederis gratiæ suscipere*. Utrique promissio Dei obsignata: Christo, ut *Capiti*, homini ut *membro*. Promissio utrique facta est vitæ. Sed quæ alio titulo *Sponsori*, alio *debitori* contigit: illi ut *debita ex lege*, huic ut *beneficium gratis impertitum*: consistens in *liberatione ex peccatis & morte*. Deinde, Baptismus, nomine

nomine & ritu, lotionem i. e. purgationem denotat. Cum purgatione conceptus impuritatis, necessario & indivulso nexu cohaeret. Ubi, sive in V. T. de Levitica, sive in N. T. de sacramentali, sive utrobique de mystica ablutione sermo est, quin impuritas sive carnis sive mentis supponatur? De Baptismo res plana est. Vid. Ephes 5: 26. 1. Petri 3: 21. Hinc is (pariter Circumcisio) nemini confertur, qui non vel proprium vel alienum peccatum habeat. Sanè Christus hic in Officio Mediatorio considerandus. Si extra id venisset, ei non magis quàm Angelo, si carnem hanc indueret, Sacramentum hoc administrandum fuisset. At cum venerit ut Mediator, id est, tum legi obnoxius factus, omnemque justitiam impleturus: tum, peccato quidem proprio carens, non tamen sine peccato veniens, Jes. 53: 6. Hebr. 9: 18. & peccatum pro nobis factus, 2. Cor. 5: 21. Baptismo carere non debuit. Porro confundit Limbourghius Christum cum grege hominum, & Baptismum Christi, cum Baptismo hominum nudorum. Christus à peccatoribus separatus est. Hebr. 7: 26. At secundum Limbourghium contingere potest, ut plures alii non-peccatores, baptifentur: Quà hypothesi nihil falsius, nihil superbius dici aut fingi potest. Etenim quoniam peccatores illic Apostolo memorati? Quisvis alii veri homines, exceptò Christò. Quia singuli vel originali vel etiam actuali labe infecti. Si Christus separatus ab his sit, id est, si hominibus quibusvis aliis hætenus præstet, quòd peccati omnino purus sit, qui exemplo Christi conficias, Baptismum non-peccatoribus administrari posse? Quis ille, cui hoc privilegii competere queat? Si queat quomodo Christus hoc titulo à nobis separatus? Sed hoc est Pharisæorum & Pelagianorum venenum, quod Remonstrantes pleniscyathis imbiberunt: Hominem inquam, lege naturæ ex Adamo natum, omnis peccati exfortem esse. Cui infelix hæc Pelagii proles alterum addit: Baptismum infantibus administrari, etiam si nullum ex generatione contrahant peccatum.

XV. Æquè infelicitè Limbourghius Baptismum Christi cum nostro confundit: à Christo postulatum, cum divinitus nobis imperato: Capitis extraordinarium, cum membrorum ordinario: Ex singulari dispensatione, ultrò susceptum; cum Baptismo ex officio & mandato communi, adeoque necessitatis lege nobis suscipiendo. Ille in alienum collatus, hic in proprium usum confertur. Christo, ut se
san-

Christi &
nostrum
Baptismum
temere con-
fundit,

sanctum, & omni peccato immunem: nobis, ut nos sub reatu & peccatores esse profiteamur. Neque ergo ex Christi Baptismo colligi potest, quales alii esse possint, qui Sacramentum hoc accipiunt: neque consequens est, si Baptismus Christo non fuit Sacramentum Resipiscentiæ: Ergò fieri potest, ut nec aliis sit. Quis enim hominum, vel fuit vel erit, sive puer, sive adultus, qui ad hanc Christi prærogativam accedat? *Adultus* sanè nemo ἄκακος καὶ ἀμίαντος. De pueris Limbourghius *lib. cit.* III. 4: 21. 23. salvari eos quidem per redemptionem Christi. Coeterùm Christum eorum *Servatorem* esse, non *quia eos mundat à peccato: quod in infantes non cadat, sed quia liberat à morte: quæ mors tamen non proprie pœna peccati, sed naturale tantùm consequens* sit. Hoc πρώτον ψευδὸς ut obtineat: tum ut telum quod adversùs hanc hypothefin à Pædo baptismo petimus, hebetet, futiliter asserit, Baptismum non-peccatori conferri posse: Ejusdemque *ultimum finem esse vitam æternam: notoriò vitiò, τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνων.* Denique Baptismi significatio alia *immediata*, & *antecedens*: alia *mediata*, seu *consequens*. Illa est resipiscencia & remissio: hæc vita sancta & æterna. *Illà per se: hæc propter resipiscenciam, à qua vita sancta: & propter remissionem, à qua vita æterna inseparabilis.* Resipiscencia & sanctitas, remissio & beatitudo, *naturà* ita distinguuntur, ut in *subjecto* cohæreant, & ab invicem divelli nequeant. Baptismus non aliis resipiscenciam, aliis sanctitatem; nec vitam æternam sine remissione confirmat. Nec demum *propositum*, sed *præsens* resipiscencia eo promittitur: non tantùm ut officium, sed (non minùs quàm remissio) ut *beneficium*. Nam studium sanctitatis, non tantùm officium est, quod Deo à nobis promittitur: sed æquè ac vita æterna, beneficium, quod nobis à Deo in Baptismo obsignatur. Sanè ut resipiscencia & remissio peccatorum in Christum non cadunt, ita nec sanctitas illa, nec jus ad vitam æternam, Christo in Baptismo obsignatum, ejusmodi est qualis nobis convenit. Quis tam infensus gratiæ hostis, ut neget, vel resipiscenciam vel remissionem nostram, ex gratia ceu fonte fluere? Quis excellentiæ Christi ita ignarus, ut ei vel sanctitatem, vel vitam ex gratia donari dicat?

S. Johannis
tergiversa-
tio.

XVI. Quid multis? Limbourghius adversà fronte concurrit, cum πρώτοβαπτισῆ *consilio*, quod S. Matthæus, cum ejusdem *ratione*, v. 14. edisserit: *subjectà* mox Christi *refutatione*, & Johannis *corre-*

correctione. Johannis *consilium* erat, Christum ad S. Baptismum non admittere. Verè Augustinus *de Bapt. c. Donat. lib. 5.* (Johannes) *secundùm aliquid* (Christum) sciebat: *secundùm aliquid adhuc nesciebat.* Nam Christum (hactenus scil. nunquam visum) *non noverat*, Joh. 1: 31. 33. Quamquam enim tum rationem officii sui, i. e. quòd sit Angelus immediatè *coram facie* Christi *Domini* sui ambulans, perspectam habuit: tum tempus adventui Messiaë in Prophetarum scriptis affignatum, periodum suam attigisse, adeoque Messiam non tantum natum, sed jam jam se manifestaturum nôrat. Attamen utut sanguine, (arctius tamen officio seu vocatione extraordinariâ) juncti, hactenus alter alteri de facie ignotus fuit: alterò in Judæa, alterò in Galilæa educatò. Quin etiam post Baptismum, familiari commercio, & omni colloquio abstinerunt. Certissimo omnibus argumento, testimonium Johannis de Christo, *ὡν ἀγάπη καὶ φιλία, non ab amicitia humana, sed divina revelatione, profectum*, ut Chryostomus loquitur, in *Job. Homil. 17.* Johannes scil. eodem indice filium Dei incarnatum agnovit, quòd Adam uxorem se dormiente creatam. Gen. 2: 23. alii alios, 1. Sam. 9: 14. 17. 16: 12. 1. Reg. 14: 5. Math. 17: 4. Act. 9: 13. 22: 11. Ipse Johannes Embryo, Christum Embryonem. Luc. 1: 41. Quæ enim Baronius ex inficeto Sophronio, de Christo Johannem, in nescio qua spelunca sæpiùs invisente, nugatur, febrilia somnia sunt. Vide Montacut. *Orig. Eccl. tom. I. pag. 359. & seq.* Itaque S. Johannes non sine stupore Christum, Baptismi Candidatis immixtum, & (sive voce, sive gestu saltim,) Sacramentum expetentem observat. Johanni, quin Christus prægnantes instituti sui causas haberet, minimè dubitandum, adeoque ei absque hæsitacione annuendum erat. At Mysterii quod agebatur, & urgentium Christi rationum ignarus, ex dignitatis Christi, suæque indignitatis conscientia, ratus est, si alteruter baptizandus sit, sibi potius quàm Christo Baptismum expetendum. Si contrarium eveniat, Christum sibi, Johanni, populo, minùs consulturum. *Sibi*, Cujus gloriam, aquæ peccatorum purgationi destinatæ, extincturæ sint: *Johanni*, cum cujus testimonio de Christo, ut se Majore & sanctiore, actio hæc pugnaret: *Populo*, cui Baptismus Christi, in via quam Johannes Christo parabat, lapis offendiculi esse; quod Johannes ædificabat, destruere poteratque: & obicem fixurus videbatur, ne eum ut Sanctum Domini, & regem Gloriæ reciperent & oscularentur. Stupore ergo & admiratione victus Johan-

nes, Christi votis non utcunque restitit, sed (inquit Matthæus: voce ἀπαξ λεγόμενη) δεικνύων, *obnixè prohibuit eum*. Vim particulæ δια (quæ in compositione significationem intendit) extendens Erasmi (quem Pareus sequitur); sic inquit, *Consentaneum videtur, Johannem injecta manu conatum vetare Jesum*. Quæ ut haud necessariò ex Historia colliguntur, ita facile astipulamur Dieterico in *Antiq. N. T.* voce διακωλύω, Johannem *obstinatè certasse cum Filio Dei, antequam Sacrosanctum ejus caput, etiam postulantis attingeret. Magnum fuit utrobique certamen, uter majore humilitate vinceret: Christo poscente, ut hoc fieret, Johanne volente ne fieret*. Abhorremus verò cum Crello dicere: *tum temporis Sc. nihil nocuisse etiamsi quispiam de summa Christi & perfectissima sanctitate, secus aliquantò sensisset: modò quis non crederet, hominem esse flagitiosum*. Quæ pariter à S. Johannis sententia longissimè abeunt. Quamquam ergo certum, Christum à Johanne agnitum, idque ad *afflatum propheticum* referri ultrò patimur, denique Magno Calvino pollicem premimus asserenti, Christum à Johanne *agnitum non modò insignem Prophetam, ut multi iniquè somniant, sed Filium Dei, ut erat*. Alioquin (Johannes) *injurius fuisset Deo, sanctam ejus vocationem homini mortali submitteus*. Minimè tamen cum Clerico *Harm. cap. 1. A. Chr. 1. afflatui* ejusmodi tribuimus ea, quæ Johannes Baptismum negans, ad Christum dixit. Non magis quàm Mosis, Jonæ, Jeremiæ, Petri, tergiversationes. Pariter Johannes Baptismum à Christo absque idonea ratione expeti præsumebat. Ut viæ Dei rationi præpostera videntur. Ezech. 18: 25. Quò fit ut consilia & facta Dei, tanquam Deus sibi in iis minùs constet, castigari soleant. Matth. 16: 22. Joh. 11: 8. Ut vel hinc liqueat, tum, esse in Deo βάθος πλέτα σοφίας καὶ ἐπιγνώσεως: tum, vias & consilia Dei à viis & consiliis hominum maximo intervallo distare.

*Ratio ejus
prior.*

XVII. Itaque S. Johannes, Christum Baptismo accedentem, obnixè quidem prohibuit, at simul aperuit, renitentia causam non esse superbiam, sed humilitatis studium: Non cum Imperio, sed cum deprecatione conjunctum. Ex amore, non ex malitia: ex reverentia, non ex contemtu profectum. Qualis ferè Petri tergiversatio Luc 5: 8. Joh. 13: 8. Arcanâ providentiâ rem ita dirigente, quò Christus tandem populo innotesceret, qui absque hac (si ita loqui fas sit) σὺβρέξει diutius latuisset. Inprimis quò omnibus constaret, non easdem ratio-

rationes Christo fuisse Baptismum petendi, quæ aliis essent. Ipse S. Johannes: *Ut manifestaretur Israeli, propterea veni ego aquâ baptizans* Joh. 1: 31. Equidem Johannes fortè animo præconceperat, Christum populo nonnisi *Verbis* à se manifestandum. Voluit autem Christus insuper *opere* ab eo manifestari: & eo ipso loco, quo Johannes Baptismum administrabat comparere, quò non tantùm ex concionibus à Johanne ad populum habitis: Sed ex colloquio Johannis cum Christo innotesceret. Potissimùm ex illustri illa & solenni inauguratione, quæ cœlitus, proximè à Baptismo facta. S. Johannes his utitur rationibus: *Ego opus habeo à Te baptizari & Tu venis ad me?* Geminam producit rationem, alteram de *se*, alteram de *Christo*. Johannes *legatus* Christi erat, Malach. 3: 1. ejus adeoque autoritate baptizavit. Equidem Thomæ Aquinatis sententia, Johannem postea manu Christi baptizatum, nullum in historia sacra habet vestigium. Christus non magis Johannem, quàm quemvis alium baptizavit. Joh. 4: 2. Attamen cum Christus inopinus, in carne visibili, actioni sacræ interest, Johannes Baptismum suum ei administrandum, aded non præsumebat, ut potius certum habuerit, cum ex Christi (*se validioris & prioris* Matth. 3: 11. Joh. 1: 15. 30.) manu accipere. Qui dignus erat Baptismum ei conferre, cui indignus erat *calceos gestare aut corrigias solvere* Matth. 3: 11? Augustum baptizandi munus, S. Johannes magisterio, quàm ministerio propius esse arbitratus est. De se ergo dicit: *Indigeo à Te baptizari.* Mihi beneficiis illis, quorum nobis impetrandorum causâ carnem induisti: & quorum impertiendorum gratiâ, Spiritum S. (absque cujus regeneratione nemo regnum cœlorum ingreditur, Joh. 3: 3. 5.) in Filios Dei effundis, opus est. Omnium bonorum horum tu promus condus es. Spiritus ille tuus est. Tuo unius munere contingit. Itaque non dicit, *congruum* utcunque: sed, *opus mihi est* à Te baptizari. Arrigite aures, qui nescio quid perfectionis, quin supererogationis, in hac vita vobis arrogatis! Et carnem à vobis in hac mortalitate triumphandam somniatis! Quis Spiritu hoc sanctificante sc carere posse dixerit, quo maximus natorum ex muliere, usque aded indiguit! Qui seipso, sine Baptismo, i. e. sanguine & Spiritu Christi, purus sit, nec gratiâ & liberatione Christi opus habeat? Quin, sanctissimi quique sentiunt, sibi dum in carne vivunt, quàm plurima deesse, & gratiâ Christi sanante nunquam non sibi opus esse.

Altera.

XVIII. Johanni ergo opus fuit, à Jesu baptizari. Jesu diversa ratio. Neque gemino *beneficio* (justificatione & sanctificatione) quod Deus Baptismum accipientibus promittit, indigebat: Neque *officium* quod Deus eadem operâ postulat, quodque omnes alii in Sacramento hoc ei promittimus; vitiosæ naturæ, ceu maculæ innatæ, correctionem & purgationem, polliceri debuit, potuit. Nec fide remissionis peccatorum, nec resipiscentiæ pollicitatione, sine quibus Baptismum nos accipere nefas est, opus habuit. Itaque Johannes dicere vult Christo: Tibi non opus est Baptismo meo: nihilô seciùs venis ad me? Nimirum Baptismi accipiendi causâ. Interrogatio curæ admiratione conjuncta. Quòd si S. Johanni persuasum fuisset; resipiscentiam & remissionem peccatorum à Baptismo sejungi posse; solamque vitæ innocentiam ac integritatem, nec non jus ad vitam æternam, Baptismo designari, quid tergiversationi suæ prætexuisset? Anne solam Personarum differentiam? At Johannes non inferioritatem suam, sed Baptismi indigentiam causatur. Persuasibilis, Jesum Baptismo non indigere. Non quia is vitæ sanctitate, sed quia remissione peccatorum non eguit. Ἀπορροπισσῶν χερίαν ἐκ ἔχων, inquit Clemens *Constit. VII. 23.* Magna sanè Christi humilitas: imò Argumentum, quòd se ἐκένωσεν *evacuaverit*, erat Baptismum flagitare. Admirationis autem in Johanne causa erat, quòd nosset, Christum ceu agnum Dei, propriò suò sanguine humectandum, quò nos à peccatis mundet! Hoc nimirum sanctus Vir, animo secum versabat: Cùm Baptismus meus, Baptismus sit resipiscentiæ & remissionis peccatorum, lavacro huic demum accedunt immundi. Qui nec resipiscentiâ nec remissione eget, illi neque Baptismo meo opus est: *Et tu venis ad me?* Opportunè Patschafius Ratpertus in Matth. *Per hoc*, inquit, *qualiter excelsiora virtutum opera debeant adpeti, Johannis humilitas insinuat: dum Ἐ refugit, ex sua humilitate pavidus: Ἐ obedit, ex divina institutione securus.* Nec præter rem Calvinus: *S. Johannis exemplo docemur, non temerè facere, qui injunctam à Domino provinciam obeunt pro revelationis modo: Quamvis non statim assequantur, quicquid vocationi annexum est, vel ab ea dependet.* Porro indignitatis suæ professio homini utilis, Deo gloriosa est. Sed illa demum, quæ conjuncta est cum agnitione Sanctitatis & gloriæ quæ in Deo est, ad hominem suâ culpâ perditum, integritati suæ restituendum. Altero oculo tuam indigentiam, altero Christi divitias intueri

intueri oportet. Quia illo destituimur quo Christus abundat, sic nos (ut in balance fit) demittere par est, ut vicissim Christus exaltetur. Et quanta Dei *Φιλανθρωπία*! Homines qui aliis indigent, eos quorum favores ambiunt, adeunt, & supplices eorum opem implorant. Nos, Dei gratiâ, tutelâ, beneficiis &c. egemus: ipse tamen *venit ad nos*, nec rogatus necessaria suppetit.

XIX. S. Johannem errantem, Christus & quidem gravissimis argumentis corrigit. Ut ut quæ Vir ille Dei, de utriusque persona dixerat, verissima sint: Attamen neque Personæ, quam Johannes prædicabat, neque officii sui dignitatem, Baptismo in discrimen vocari eum docet. *Voluntaria subjectio nihil derogat ejus gloria*, Calvinus inquit, *Harm. in h.l.* Præmittit Christus, *ἄφεσις ἄπει.* "Ἀφεσις" opponitur τῷ διεκιάσει. Erasmus Roterodamus & Beza reddunt, *Omitte*. Erasmus Schmid, *Permitte*. Vulgatus, *sine modo*: quod inficetus Historiæ Scholasticæ compiler explicat, *absque modo*. Imperativum, *sine*, in *Præpositionem*: adverbium modo, in *substantivum* convertens. Ita *ἄφικται* Matth. 23: 13. Mar. 10: 14. *permittendi*, *concedendi*, significationem habet. Chemnitius in *Harm. Evang.* "Ἀφεσις, inquit, appellatur, quando equi ex carceribus quibus detinebantur, & à cursu arcebantur, dimittuntur. Ingeniosè Cl. Lighthootus suspicatur, particulam *Nunc*, Baptismo *Fluminis* à Johanne flagitato, Baptismum alterum (*fluminis*) cujus gratiâ Christus in mundum venit, respondere: & diversos utriusque articulos respicere. Baptismum inquam, quem Christus *confert*, Baptismo quem *accipit*. Hunc ordine *præire*: *Illum sequi*. Hunc à se *nunc* expectari: *illum olim* à se impertiendum. Sanè Christus non poterat tantum, sed & volebat Spiritu baptizare. At oportebat eum priùs accipere Baptismum sibi destinatum: Suo tempore, *sanguinis*; nunc *aquæ*, ceu illius prodromum. Denique Ecclesiam Baptismo Spiritus Sancti beaturus erat. *Omitte me nunc*. Desine verborum, Tergiversatione & cunctatione mihi molestus esse noli: Illud age cujus gratiâ Te conveni, qui *nunc* non veni *ut ministraretur mihi, sed ut ministrarem*. Matth. 20: 20. Christus rationibus Johannem ad obsequium pellicere poterat. Et rationibus utitur quidem, quò instituti sui æquitas liqueret. Præmittit tamen à simplex imperium: *omitte. b.* obsequium promptum flagitat: *nunc*. Abrumpe moras. Quia obsequii divini ea indoles, ut dum de voluntate Dei constet, quamvis ejus rationes lateant, voluntas nostra se submittere debeat, Et quidem absque

Christus
in Bat.

absque disceptatione, absque murmure, absque procraftinatione. Denique fidelibus momenta temporum, præsens à futuro: & diversus in eis status, sedulò meditandus. Ferenda sunt, quæ vel donis, vel titulis, vel futuræ gloriæ Candidato, indigna videri possint? Animus cogitatione temporis præsentis obfirmandus: ἄρτι nunc forte ea acquiescendum. Deo nostra ita dispensante & dirigente, ut non eadem semper conditio nos urgeat. Crellius in h. l. potuisse Christum nunc baptizari: Quia tunc *privati instar* fuerit: *obstituram* autem fuisse *dignitatem muneris*, quâ supra Johannem eminebat, ne posthac à Johanne baptizaretur. Dignitatem *personæ* Christi prorsus abnegat: dignitatem *Officii* in Christo agnoscit, sed futuram demum: quasi Christus ante Baptisum *persona privata*, muneris mediatorii exors fuerit: Johanne interim florente, imò regnante, adeoque (quod Johannes assâ voce negat) Christum superante: quæ hæresin Socinianam nimis olent.

*Ratio Christi
prior.*

XX. Rationibus Johannis, Christus rationes opponit prægnantiores. *Prior*, Generalis. ἔγω γὰρ Πρῶτον εἶμι ὑμῖν. Christus Johanni ἀνάξιον καὶ ἀπερπῆς, rem se indignam expetere visus. At Christus: Falleris. οὕτω ita fieri convenit. Si tu Baptisum mihi conferas: ego verò Baptisum accipiam, fiet quod utrinque par & consentaneum est. Non soli Christo (ut Crellius Christum h. l. pluraliter loqui fingit) sed utrique, Christo & Johanni. Christo qui officium suum tanquam provinciam à Deo sibi demandatam, à Baptismo, ingressurus: Johanni, qui hac etiam ratione viam Christo paraturus, commeatum in Judæorum corda conciliaturus, & portam adperturus erat. Chrysostomus explicat ὅτι καὶ μάλις πρῶτον εἶμι. Nimirum, non opponit Christus *decorum*, necessario: sed quia idem *δίκαιον justum* erat, *congruum* esse asserens, *necessarium* dicit: Congruam necessitatem, aut necessariam congruentiam insinuans. Neque personæ, mandatum Dei exequentis dignitatem: sed præcepti sanctitatem & obsequii æquitatem ad animum revocandam. Cicero *Orat. ad Brut.* Ut (inquit) *in vita sic in oratione nihil est difficilius, quàm quid deceat videre.* Sanè omne tulit punctum, qui, quid deceat, vidit. Nec alia sive ad virtutem, sive ad felicitatem, propior & planior via ducit, quàm spectare & sectari, τὸ πρῶτον, *decentiam.* Hanc certè Deus in actionibus & consiliis, (universis inquam, illis) unicè & quærit & appetit. Omnia enim facit *משׁוּבׁהׁ* in (seu *cum*) *decentia nominis sui.*

Pf. 68.

Pl. 68: 5. ad gloriam suam i. e. virtutes suas explicandas, utpote quas occultare non potest. *Quis ut Tu ἢ ἰσθὶ abundans decentiā, πάση ἀξιοπρέπειᾳ κτισομημένος*, Pl. 89: 9. Hinc toties ἢ dictus, quia totus decentia. Nec decentiam istam alibi magis manifestat & nobis commendat quàm in eo opere, quo gloriam & virtutes suas quàm maximè innotescere voluit, incarnationis & redemptionis Hebr. 2: 10. 7: 26. Neque illis in quibus glorificari vult, cujuscunque ordinis & sexûs, aliud liberaliùs inculcat, quàm ut agant τὸ πρόπει, καθὼς πρόπει, κλ. 1. Cor. 11: 13. Eph. 5: 3. 1. Tim. 2: 10. Tit. 2: 1.

XXI. Talis ἐνπρέπειᾳ comitabatur Christi Baptismum. Et *Posterior*, quidem tum *Johannis*, tum *Christi* respectu. *Decet nos, omnem justitiam implere.* Haud refragaberis, & tute conscius es, fas & æquum & nostrum utroque dignum esse, ut operemur *justitiam*: Non partem tantum ejus, sed *omnem*. Τὸ πρόπον *personæ*, & τὸ καθήκον *muneris*. Nec perfunctoriè, sed *implendam*. Decet nos cuique, inprimis Deo, quod suum est reddere. Quicquid inquam jure à nobis repetit: quicquid justum esse, nosque justos vel efficere vel demonstrare potest. Laudatus Chemnitius jure conqueritur: *Sententiam hanc variis opinionibus non tam declaratam quàm obscuratam esse*: Ejusque rei fidem abundè facit. Crellius eo posterior, omnium aliorum insolentiam multis parafangis superat. Inter alia, *præceptum inquit, de Baptismo aquæ suscipiendo, Christum omnino ac per se non stringebat* &c. Fieri potuit, ut ea res specialiter ei à Deo mandaretur. At, si generale Dei mandatum spectes, ei omnino non fuisse injunctum: Huic mandato τὸ decet opponens: contra quàm fieri debere, supra ostendimus. Et *justitiæ* vox evincit, officium indigetari. Nec tamen Linbournio suffragamur, qui Theol. L. III. 15: 7. V. 68: 22. justitiam de solo præcepto intelligit. At *Justitiæ* nomine duo, insinuantur. Primò quidem, ista ex munere, *particularis*. Diversum utrique incubuit munus. Utrumque sacrosanctum, adeoque omni ex parte implendum. *Johannis* erat, quemvis ferium Baptismi flagitorem admittere: *Christi* erat, hanc Dei ordinationem colere. Qui enim venit omnem *Dei voluntatem facturus*, Pl. 40: 9. mandatum hoc, de Baptismo N. T. civibus participando, negligere minimè debuit. Et quia Baptismus *Johannis de Cælo* erat, Matth. 21: 25. sine contemtu *consilii* i. e. præcepti divini, Luc. 7: 31. præteriri à nemine potuit. Scitè Bulling. in Matth. III. *Fides, quæ vera*

Christianorum justitia est, tribuit gloriam Deo, credens Deum summè sapientem nihil inutiliter instituisse, unde omnibus Dei institutis, absque disputatione humiliter utitur fidelis. Inspidum Scholasticorum commentum, quo ex his Christi verbis extundere volunt, Baptismum Johannis, Sacramentum legis veteris fuisse, faceffere jubemus. *Altera est, justitia illa universalis, quæ Dei & proximi charitate absolvitur. Qui hanc justitiam facit justus est: sicut (Deus) justus est.* 1. Joh. 3:7. Utrumque (Christum & Johannem) omnem justitiam implere decebat. At ratio & modus id præstandi, quàm maximè differebat. Nam Johanni quidem omnis justitia implenda fuit, quia Creaturæ & quidem imagine Dei insignitæ, ad gloriam Dei esse, adeoque ejus legi subjici, convenit. Utut verò homo effectu nequeat, affectu tamen omnem justitiam implere debet. Non ut hujusmodi justitiâ jus vitæ quarat: sed ut ejus studio sincero demonstrat, se vivere in fide, quæ justitiam perfectam adprehendit. Christi diversissima ratio. Est is creatura, sed idem Filius Dei. Homo est, at non solâ Patris, sed etiam suâ voluntate. Legi obnoxius factus ut servus ultroneus: sed non inutilis & debilis ut nos: verùm ὁσως, Patri usque ad mortem & quidem mortem crucis obediens factus. Philip. 2: 8. quâ obedientiâ & ipse justus est, & nos reddit justitiam Dei in ipso. 2. Cor. 5: 21. Cujus rei quidem gratiâ in mundum venit, Mediator nobis à Deo Patre datus. Rom. 8: 3. 4. Itaque omnem i. e. omnibus numeris absolutam justitiam implevit: Legi divinæ omni, tum illi, quæ naturalem Dei sanctitatem exprimit; tum illi, quæ à libera Dei voluntate proficiscitur, se lubens subjecit: quia non venit legem (ullum Dei præceptum) abolere sed implere Matt. 5: 17. Non igitur sufficit vocem δικαιωσύνης h. l. latissimè sumi ut à Grotio: sed strictiùs id involvit, quod in fœdere operum justitiæ nomine venit, cujus implendæ vadimonium Christus susceperat: Hanc justitiam h. l. designari, inculcavit pridem Justinus M. Q. & R. 141. afferens, Christum baptizatum quò impleveret justitiam, quam Paulus πρὸ τῆς πιστεύουσαι χριστῶ, ἔργω ἦν δεξάμενος antequam Christo crederet nondum acceperat. Astipulatur Chrysostomus Tom. V. Hom. 74. inquit: Non dixit, decet ποιῆσαι τὸ κατὰ τὸ hoc & hoc faciendum: sed, decet omnem justitiam implere. Quidnî hic Jehova justitia nostra cognominetur, Jer. 23: 6. & à Deo nobis factus sit justitia 1. Cor. 1. 30. in quo omnis justitia, & plenè quidem reperitur?

XXII, Cùm

XVII. Cùm verò rationes plures Baptismi à Christo postu-
 lati, in his verbis tanquam radice aut latice lateant, eas distinctiùs cog-
 noscere, & tanquam sive ramos sive rivulos, ex eis derivare lubet.
 Monent nos, congruum fuisse, ut Baptismum acciperet, *Johannis, Chri-
 sti, Nostri*, intuitu. Etenim exemplum Christi, Baptismo Johannis,
 apud Judæos (gentem si aliàs unquam, corruptissimam) auctoritatem
 conciliavit: Consensum doctrinæ Johannis & Christi demonstravit:
 Idoneumque vel maximè erat, tardantes & renitentes *βιάζεσθαι, com-
 pellere*, ad Regnum cœlorum, quod Johannes aperuerat, ingrediendum.
 Et ut Christus circumcisionis *servus* esse, Rom. 15: 8. *legi præceptorum
 in placitis* se subicere voluit, ita congruum fuit, ab eo (qui venit ut ex
 Judæis & gentibus unum faceret corpus, gregem, populum) primum
 N. T. præconem recognosci: suo applausu aliis commendari, & do-
 ceri, Baptismum Johannis Justitiæ & libertatis signaculum esse. *De-
 inde*, congruum erat Christum, hõc etiam factò, se ipsum *τύπον καλῶν
 ἔργων* proponere: ostendere, quòd non venerit sui causâ; sed ut vo-
 luntatem Patris faceret: Gloriam ejus quæreret: ei ad mortem
 obediret: & in omnibus servum Dei se demonstraret. Christi Bap-
 tismus fuit obsignatio pacti inter Patrem & Filium initi. Enimverò
 Pater Filio, in carne humili apparenti, & in profundo Jordanis, animum
 ad bibendum ex torrente iræ Dei, & Baptismum sanguinis suscipien-
 dum, promptum paratum declaranti, Baptismum administrari vo-
 luit, ceu Sacramentum & sigillum promissionis in æterno consilio ei
 factæ, tum de inseparabili communionem cum Spiritu Patris, tum de
 gloriosâ ex profunditatibus mortis emersione. Adde de *Christo*
 per Baptismum *manifestando* dicta §. 17. Denique, nostri gratiâ Chri-
 stus baptizari voluit. Non tantum tanquam *servus* Patris, sed etiam
 tanquam Caput & Dominus Ecclesiæ: & ut jam jam diximus, tanquam
 sponsor, & agnus Dei peccata mundi *ἀίρων ferens & auferens*: Peccata
 gestans, & ab illis, tanquam *τέλειος καὶ τελειωτής consummatus & con-
 summator* noster, absolvendus: quæ Christi Capitis absolutio & justi-
 ficatio etiam corporis absolutio fuit. Nimirum Baptismo suo liqui-
 dum fecit, circumcisionem quæ manu fit, quaque Deus se ad benedi-
 ctionem populo suo, in semine Abrahami conferendam; Populum
 autem suum, ad legem universam observandam obligaverat, in Chri-
 sto expirasse: ejusque loco Baptismum, ceu *sigillum justitiæ fidei* (non
 tan-

tantum præscriptum nobis, sed receptione ejus, ab & in se sanctificatum) nobis adpetendum & recipiendum. Quòd si sola circumcisio Christo fuisset applicata, & Christum & Ecclesiam adhuc sub lege esse: adeoque eos qui in Christum *natum* credunt, æquè ac qui in *nasciturum* credebant, circumcidi debere, Ecclesiæ N. T. suspicari licuisset. Quandoquidem autem non circumcidi tantum, & Sacramento illo ad legis præstationem *obligatorio*, ad debiti, sibi tanquam Sponsori impositi solutionem se devincire: sed etiam Baptismum (qui Sacramentum à legis maledictione & servitute *justificatorium* & *absolutorium*, rectè insignitur) recipere voluit, eo testatus est, se in carne apparuisse, quòd *omnem justitiam*, non tantum servi, sed etiam capitis *impleret*: Nos autem à circumcisionis & reliquæ Legis jugo liberos pronunciaret; & remissionem peccatorum, atque absolutionem ab impuritate, credentibus (quippe non amplius servis, sed fratribus, sponsæ, imò membris suis) obsignaret. Itaque Circumcisionis & Baptismi Christi diversissimos hos, quin contrarios effectus cognoscimus. Quòd circumcisionem recepit, docet quòd nos ab ejus receptione liberet: quòd Baptismum admisit, nos ad Baptismi receptionem pellicit & devincit.

Enodatio
loci Coloss. 2:
10, 11.

XXIII. Hoc Mysterii his nobis verbis à S. Paulo ad Coloss. 2: 10-12. panditur: *Estis in ipso completi, qui est caput omnis principatus & potestatis: in quo etiam circumcisi estis, circumcisioe que non fit manu: in exutione corporis peccatorum carnis, in circumcisioe Christi: conssepulti ipsi in Baptismo.* Christus Caput est. omnis principatus & potestatis: nec agnoscimus eo superiorem. In hoc completi sumus: Eum ut *τελειωτην* salutis nostræ, ut perfectum nostrum Salvatorem veneramus, in quo adeoque, ceu membra in capite, circumcisi sumus, circumcisioe non manu factâ. Etiam si Sacramentum circumcisionis in carne non recepimus, æquè tamen nefas est, eam nobis administrari, atque illis qui octavo die pridem acceperant. Quamquam enim quoad carnem incircumcisi simus, non tamen circumcisioe destituimur. Nec impuri, minimè omnium corde præputiati, vel à Fœdere alieni sumus. Siquidem circumcisi fuimus, cum circumcideretur Christus, qui servitutem legis circumcisioe postulatam, in se recepit. Eo nos à legis servitute absolutos & beneficiorum circumcisioe obsignatorum, Justitiæ & vitæ æternæ participes esse voluit. De quo non dubitandum

dum nobis, quia in Christo etiam baptizamur: ejusdem Baptismi participes reddimur, cujus ille. Quia ille circumciscus, nos non circumcidimur: Quippe in illo circumcisci. Sed quanquam ille baptizatus: etiam nos baptizamur. Nam quia post Sacramentum prius, novum recepit, prius illud antiquare voluit. Hebr. 8: 13. Siquidem Baptismus argumento est, quod in & à Christo consummati sumus: Quod bona circumcissione oppignerata, effusione sanguinis N. T. jam sint inapetrata: Et cum Christus, quia Caput est Ecclesiae V. T., circumcissionem acceperit; Illius aevi populo assimilari volens: Baptismo, eadem ceu capiti Eccl. N. T. inferimur, & Christum induimus, fidem nostram in Christi mortui ac sepulti consummationem ita declarantes: Et certi reddimur, debitum, vitam ex lege quaerendi, cum maledictione legis cessare: justitiam quam acquisivit, vitam quae ex justitia ejus fluit, & Spiritum S. (cujus gratiosâ operatione justitia illa applicatur &c.) nobis cum illo communia esse. Nimirum Baptismus Johannis fuit porta Regni caelorum: Testimonium resipiscentiae & fidei: sigillum remissionis peccatorum, & vitae aeternae, quae à remissione inseparabilis est: tessera communionis cum Messia, ceu Authore horum beneficiorum, jam nato. Hinc quicumque cum Christo, ejusque tot & tantis beneficiis communionem habere gestiunt, hoc desiderium suum, nec non fiduciam bonis his potiundi, Baptismi receptione testari debent. Sed quaestioni, *Si idèo Salvator Baptizatus est, ut exemplo esset, quare circumciscus cæteros prohibuit circumcisci?* Augustinus *Quest. ex N. T. cap. 50.* pridem satisfecit.

XXIV. Est verò Baptismi contemptus tanto scelestior, quod Christus suomet exemplo ejus utilitatem & necessitatem commendare voluerit. Nam quod *παρέργου ὁδὸν* notamus, necesse omnino est, una eademque fuerit Baptismi Johannis & Christi substantia. Nisi dicendum sit, Christum circumcissionem eandem cum fidelibus V. T. accepisse, at Baptismum ejus, à Baptismo foederatorum N. T. alium: à N. T. alienum esse. Equidem Augustinus *Enchir. cap. 49. & de Baptif. c. Don. V. 9.* alium Christi, alium Johannis Baptismum fuisse tuetur: Donatistarum artibus, laqueo non necessario se induens: Et armis non ex Scriptura, sed ex ingenio suo adversus eos depromtis, Donatistarum Anabaptismum, toties in Scriptura S. jugulatum, confossurus. Cum enim ipsi ille concederet, à Johanne tinctos, Act. 19.

Corollarium, de Baptif. Joh. & Christi identitate.

commemoratos, à Paulo esse retinctos; contendit, fallaciam parium à Donatistis committi: Baptismum Johannis repeti portuisse: non posse Christi, quia Johanneo perfectior sit. Antecedens falsum, Autoritate S. Lucæ, minimè nixum, largitus; consequentiam negat: termino medio usus, qui cum N. T. palàm pugnat. Christus autem discipulis dicens: *Ite baptizate, non de novo, baptismum novum instituit.* Johannes solos Judæos baptizabat: Christus autem Gentes initiari: non autem alio, sed eodem quo ipse, Baptismo tingi voluit: ut Bullingerus, vir Encomio nostro superior, animadvertit.

Antiquitas, de causis Baptisati Christi, susfragia,

XXV. Cana & candida Antiquitas, de causis Baptismi à Christo suscepti consulta, respondet: Augustinus quidem de *Mirab. Script. III. 5. Ad Baptismum descendit D. Jesus Sc. ut aquas, quas quamvis in delicto Adæ Deus non maledixerat, terre qua continebantur maledictione infectas, purgaret: Et ne quisquam Baptismi Sacramentum negligeret, dum qui sine peccato fuerat, Baptismi aquas inivit.* Idem in Pl. 90. *Quare baptizatus Dominus? Ut non aspernaremur baptizari. Baptismum queras Domini: ego servi quaesivi.* Idem Tr. IV. in Joh. repetit. *Enchirid. cap. 49. sic inquit: In aqua voluit baptizari à Johanne, non ut ejus iniquitas ulla dilueretur, sed ut magna commendaretur humilitas Sc.* Certæ dispensationis causâ: non miseranda necessitate: sed miserante potius voluntate susceptum. *Quæst. ex N. T. cap. 49. Hominis causam suscipiens, Sc per regenerationem filios Dei fieri docens, baptizari debuit, ut in se hoc ostenderet gratum.* Facile enim probatum habetur Sc suadet, quod dicitur, si à Magistro fieri videatur &c. *Stilum ferè mutat Optatus Milevitanus: Christi caro ipso Jordano sanctior reperitur: ut magis aquam ipsam descensu suo mundaverit, quàm ipse mundatus sit.* Hieronymus *Epist. 27. Pollutas diluvio aquas, suo Dominus mundavit baptismate.* Hilarius: *Non necesse habuit abluï: sed per illum, in aquis ablutionis, nostra erat sanctificanda purgatio.* His anterior Origenes, *Cat. in Joh. I. Nequaquam purgandi se gratia ad aquas venit, sed iōs δύνανται ἀνοῦς ἐνδεῖναι καὶ ἀγνῶν, ut eis purgandi vim indat.* Chrysostomus: *Nunquam aqua baptismi peccata credentium purgare potuissent, nisi tactu Domini corporis sanctificata fuissent &c.* Neque aliter multò Gregorii, Thamaturgus & Nazianzenus, Damascenus, *Orthod. fid. IV. 10. &c.*

An contra-itus corporis Christi, aquam sanctificatis

XXVI. Ne verò quod illi dextrâ dant, sinistrâ accipiatur, libet unam alteramque animadversionem subijcere. Præmittimus commodum

dum qui magnorum illorum Virorum commentationi inesse potest
 fenſum, Verbis Cl. Parei in Matth. 3: 12. *Baptizari Christus voluit,
 non ſua utilitate ſed noſtra neceſſitate, ut nobis ſanctificaret Baptiſmum, te-
 ſtando, eum nobis ſymbolum gratiæ divini eſſe inſtitutum. Tunc enim
 Baptiſmus Johannis cœpit fieri noſter, cum in corpore ſuo Chriſtus eum ſuſ-
 cepit, & in nova Eccleſiæ Sacramentum confirmavit, atque etiam exem-
 plo ſuo commendavit. Hæc ille. Deinde, Finis in quem Chriſtus bap-
 tizari voluit, cum *Uſibus* ex eodem Baptiſmo reſultantibus, minimè con-
 fundendus. *Finem* quidem Chriſtus ipſe eſſe dixit, *impletionem omniſ
 juſtitia* ſibi incumbentem. *Uſus* ex iſta Chriſti obedientia, tum alii
 plures fluunt: tum exemplum quod nobis reliquit, ut ab eo diſceremus
 & ejus veſtigia ſequeremur, Matth. 11: 29. 1. Petr. 2: 21. Baptiſmus,
 jam non tantum præcepto Dei, ſed etiam exemplo Chriſti commenda-
 tum habituri. *Tertio*, utut Phraſis, quod *Chriſtus baptizatus ſit, quod
 baptiſmum noſtrum ſanctificaret*, cum grano ſalis accepta, non ſeverius
 flagellanda videatur, non tamen abſque ratione Magni Viri in ea no-
 tant, tum obſcuritatem, tum quod ἀγαθος, imò χειρονος νόμιμος
 ſit. Sanè ut iſti ſapienter obſervant, Baptiſmus *noſter* ſanctificatione
 non indiget: Siquidem ex inſtitutione Dei mandantis, ſanctitatem ha-
 bet. Baptiſmus autem *Chriſti*, pars fuit juſtitia à Chriſto implenda.
 Adde quod deterior ætas, iſtâ (ut pluribus aliis, à pia antiquitate ſe-
 curiùs adhibitis) & analogis phraſibus turpiſſimè abuſa. Bernhardus
 Clavevallensis, Exhort. ad Milit. templi cap. 9. de Jordane: *Meritò ip-
 ſam (Jordanis) virtutem, quam Naaman ille, conſulente Propheta, ſenſit
 in corpore, jubente Chriſto, univerſus quoque fidelis populus in anima experi-
 tur. Itidem Lombardus, Sentent. IV. diſt. 15. lit. g. Chriſtus baptizatus eſt,
 quia contactu munda carniſue vim regenerativam contulit aquis, ut quæ
 poſtea immergeretur, invocato nomine Trinitatis, à peccatis purgaretur.*
 Alphonſus Toſtatus tum quia omnium qui unquam vixere, Cl. Caveo
 teſte, πολυγενεφώτατος, tum ob memoriam feliciffimam ſtupor mun-
 di dictus, in Matth. cap. 3, quæſt. 76. dictum commune, quod Chriſtus
 tactu ſuæ mundiffimæ Carniſ, vim regenerativam contulerit aquis,
 ſolidiffimis (ut Caſauboni verbis utar, c. Baron. p. 223.) *rationibus* jugu-
 lat: Montacutiò τῆ υποθέσει nimium indulgente, & piæ antiquitatis
 verba fidiculis ſubjiciente, Orig. Eccl. 1. 396. ſ. 67. 69. ſqq. Latiùs
 cum tempore graſſata Lombardi opinio: neque parùm momenti phra-
 ſis*

fis ejus contulit, ad statuminandum errorem, altissimè radicatum & passim serpentem, aquas Baptismi *salvificare quemvis tinctum*. Addunt, *ex opere operato*: & instar *cause*, vel *instrumenti phyci*: Eam qualita- tem tantum non à contactu carnis Christi derivandam &c. Miraculo- sam vim, quam tum reliquæ, tum Jordaneæ aquæ: inprimis illo anni tempore, quo Christum aquis illis ablutum imaginantur, adhibitæ, ex Baptismo Christi contraxerint, etiã in corpora exercendam, supra §. 8. & 11. commemoravimus. Eis omnibus, præcipuè quæ de san- ctificatione aquæ in usum Sacramentalem illi opinantur, diluendis, ista Cl. Basnagii lib. cit. §. 10. omninò satisfaciunt: *Quid sanctificationis, undis Jordanis, ex corporis Dominici contactu impressum sit. capere non possumus, cùm solius & figuræ & motus capax aqua sit. Sanctitas autem neque motus est. Neque figura* (Neque quovis modo ab aqua vel efficitur vel dependet). *Non magis intelligimus, quomodo aqua, que fluens alveo, jugiter mutatur, vim que incussa fingitur, retinuerit. Pergit: Si vera cogitare volumus, ea sanctitatis impressio, in ὄψει consistit: qua ex Baptismo* (nec non ex institutione. quæ hoc exemplum Christi tum præcessit, tum subsecuta est) *Christi, aqua destinata est, ad sanctum regenerationis lavacrum constituendum. Vera phycaque mutatio ea non est: quomodo cera nova qualitate non afficitur, cùm ad sigillorum usum eligitur.*

Baptismus
 Christo ad-
 ministratur

XXVI. Sanctus Johannes rationum ponderi, & Christi insi- stentis Authoritati cedens, τότε ἀφίησιν αὐτόν. *Sinit*: in præsentem. Vul- gatus, in præterito: Nec jam, ut proximè idem verbum, ἄφες sine, red- diderat: sed significatione aliã, imò aliena, dimisit. Non sine indigna- tione Erasmi, exclamantis: *Rogo, quis est hic lusus in literis divinis?* Pa- reus, omittit illum. Addit: *Manus ab eo arcendo, verbis se excusare ces- sat, reverenter ad Baptismum eum admisit.* Itaque S. Baptistes tergiver- sari desinit. Christus, ad Baptismum, eodem ritu quo quivis alius, ac- cipiendum, in aquam descendit. ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου εἰς τὸν Ἰορδάνην. Marc. 1: 9. à Johanne *corpus ejus initiatur*: ut Tertullianus *Monog.* c. 8. Cl. Lighthootus supponit, S. Johannem, Sacramentum hoc administrasse in nomen S. S. Trinitatis. Ex Act. 16: 4. liquet, Jo- hannem baptizasse in Christum Jesum. Certum est, doctrinam de Pa- tre, Filio & Spiritu Sancto, uno vero Deo, Baptismo Johannis accu- ratè confirmatam & illustratam. Unde tunc præter Filium, Pater & Spiritus S. tam gloriosè se manifestarunt. An S. Baptistes, Christum


com-


communi baptizaverit formulâ, an *nova*, an *nulla*, idem Lighthfoothus Oper. tom. I. p. 342. anxie disputat. Secundum & tertium ferè in medio relinquit. Sic enim Christum in suo ipsius nomine baptizandum fuisse. Id equidem pridem Gregorio Thaumurgo scrupulum movit, qui hanc propemodum causam Baptismi Christo à Johanne denegati adducit. Sic enim Christum à Johanne compellatum: *Alios dum baptizo, in tuo nomine baptizo, ut credant in te venientem cum gloria. Te verò baptizans, cujus mentionem faciam? In cujus te nomine baptizabo? An in nomine Patris? &c. An in nomine Filii? &c.* Serm. in *S. Theoph.* Nos dubii hujus enodationem, quia à Spiritu S. præteritur, minimè necessariam ducimus. Scilicet ab illis primitus motum, qui sacra nostra cavillandi occasionem quamvis aucupantur: quod Philippo Baldeo, Indorum in Insula Ceylan Apostolo evenisse, ipse testis est, *Itin. orient. p. 386.* Indo interroganti, an Christus à Johanne baptizatus fuerit, in nomen Patris, Filii & Spiritus S. respondit, *primò de Christo: quòd non tantùm ut divina persona, sed etiam ut mediator considerandus sit. deinde de Baptismo Johannis, quòd in nomine Dei utriusque administratus sit: Deus autem cum sit Pater Filius & S. Spiritus, consequi, Christum (Mediatorem) in nomen suum baptizatum.* Addere liceret, hunc Christi Baptismum, tum extraordinarium: tum personæ, reliquis omnibus Baptismo initiatis eminentioris, fuisse: de quo rerum genere, non nisi sobriè & religiosè cogitandum & pronuntiandum. Verùm sufficit nobis Spiritus S. silentium. Scire autem nolle quæ summus Sapientiæ Magister nesciri voluit, præcipua scientia est. Cæterum Johannes exemplo est, pertinaciam ab incautis, & sinistris bonorum conatibus abesse: modò rectius edocti & admodi fuerint. Hoc enim interest inter peccatum ignorantia seu imbecillitatis, & deliberatum seu malitia, quòd isti & cum delectatione & ἐν πλεονεξίᾳ Eph. 4: 19. cum aviditate; vel ut alii reddunt, certatim, uti qui de palma aut lucro contendunt, peccant: ad omnes correctiones surdi. Illi dociles & nutu flexiles sunt. Justinus dial. cum Tryph. perhibet: *Cum Jesus in undam descendisset, ignem in Jordane accensum fuisse.* Sine teste. Hujusmodi est, quod Chronicon Alexandrinum commemorat: *Jordanem eodem tempore retrorsum conversum: Christo Authore à Johanne consistere jussu: denique, Christum à Johanne adoratum.* At fabulis, Christi Baptismus polluitur magis quam ornatur.


*Locupletes
ejus fructus.*


XXVIII. Exemplum Christi non tantum (ut semel iterumque inculcavimus) nostra institutio est, sed idem aculeos habet, quibus tum ad alacrem imitationem, tum ad assiduam meditationem ejus excitemur. Denique plus quam regios thesauros, inde in Baptismum nostrum redundantes, ostendit. Nemo vel aquam sine Christo, vel Verbum sine Spiritu in Baptismo administrari: Nemo, aquas illas viduas aut steriles esse cavilietur. Quodammodo medicatae sunt, ut cum Tertulliano loquar, & animant. Idem ingeniosus Afer, ex illa Spiritus S. incubatione, de Baptismo magna praesumit. De sancto (nimirum Spiritu Gen. 1: 2.) sanctificata (inquit de Baptismo cap. 3.) natura aquarum: *Et ipsa sanctificare concepit &c. Omnes aquae de pristina originis prerogativa, Sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de Coelis, Et aquis superest, sanctificans eas de semet ipso: Et ita sanctificata vim sanctificandi combibunt &c.* Haec ille, argute quidem. Solidiora & vividiora ex Baptismo Christi in Baptismum profluunt. Aquas illas dignatus est non tantum nobis consecrare in sigillum gratiae suae, sanguinis sui ἀντίτυπον: sed ipse iis irrorari; & quodammodo omnes divitias de Spiritu & corpore suo in nos redundantes, in illis deponere voluit. Sanè quicumque humiles & fidei mente in eas se demittunt, Christum se in illis reperturos certi esse queunt. Adeoque Christum in illis indui, Gal. 3: 27. cum Christo nos sepeperi in ejus mortem, ut in vita novitatem consurgamus, Rom. 6: 4. cum illo coalescere, & unum cum illo fieri, 1. Cor. 12: 13. ab eo mundari, Eph. 5: 26. Nec malè Grotius in Matth. 3: 14. Ipse (Christus) per hanc ceremoniam quae nos populo Dei inserit, eidem populo velut incorporatus est, certosque suo exemplo fecit omnes, qui ut oportet baptizantur, aperte ipsis regia caelestis, consequendi Spiritus, Et juris filiorum Dei.

De quibus, faciente Deo, Dissertatione alià.














plura circa hanc materiam tractata recognoscere
eter modo laudatam Harmoniam Chemnitio-Ly-
& B. HILDEBRANDI A CANSTEIN Harmoni-
o. 653-660. Io. Casp. SVICERI Thef. Eccles. par-
o-713. ISAACI CASAVBONI Exercitat. Anti-Ba-
XII. p. 309-389. cum IAC. CAPPELLI Vindiciis
em ERASMI & IO. PISCATORIS adnotationes,
VTII Comment. ad h. l. B. Aegid. HVNNII tra-
cclesia p. m. 233-250. B. Seb. SCHMIDII Petrum
p. 107-147. Io. COCCII Operum tom. IV. p. 29.
is nobis *ὁμολογῆσθαι* est, B. Abrah. CALOVII Vin-
duerfus Hug. GROTHII corruptelas, item plures
ristoph. WOLFIO in Curis philol. crit. ad h. l.
e qq. adlegatos, præfertim *Eliam du Pin* &
Ioannem *Launoium*, commen-
damus.

ὁ δὲ τῶ θεῶ ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγῆται αὐτῆ δωρεᾶ!

MIO AC PRAESTANTISSIMO
IVVENI,
NI GEORGIO WILLIO
M IN CHRISTO PLVRIMAM DICIT
PRAESES.

gis, CARISSIME WILLI, quod, dum abi-
x academia nostra meditaris, rationem stu-
m specimine quodam publico recepto mo-
on neglexisti. Isto enim documento osten-
vlla molestia mea in ædibus meis, ita non
florentissima academia, per triennium &
te. Dum vero materiam ad disputandam
umenti, vt fatis ardui hodieque scitu neces-
farii,